




ARCIS VRANIBV RGI QVO
AD TOTAM CAPACITATEM
DESIGNATIO.



DELL.

DE LINEATIONIS ARCIS VRANIBRVGL,

QVO AD TOTAM CAPACITATEM EXPLICATIO.



FRIDERICVS SECVNDVS laudatissimæ memoriæ, Rex Daniæ & Norvagiæ, &c. nulli virtute, magna nimitate atq; integritate cedens, qui ante annos decem ingenti cum luctu non saltē Daniæ & subditorum sed & adiacentium Regionū satis confelsit, annum agens ætatis quinquagesimum quartum, diuturniore sane vitā dignissimus, modo DEO ita visum fuisset: Is (inquā) optimus Rex, cum præter alias Heroicas dotes erga liberalia studia vere liberali & propēso esset animo, atq; intellexisset Astronomiam inter hæc principem locum obtinentem, à summis semper Monarchis & Regibus in summo etiam pretio habitam, multosq; ex his laudabiliter in eā versatos, nec minimam nominis perpetuitatē inde consecutos, hanc in suo etiam Regno præclare excoli atq; fovendi duxit operæpretium. Quapropter, ubi me illius instaurationi operam navare, atq; in eā palæstra multis iam annis inde adolescentiā versatam percepisset; adeo ut huius continuandæ & adoptatæ finem perducendæ gratia, relicta Patria in Germaniam; quò quietius & oportunius eidem vacarem, discedere animum induxissem, me accessit, ut ishic in Daniā idem exequeretur, clementi benevolentia adhortatus est: & spōte oblatā Insulā celeberrimi freri Daniici Venusia, communiter (uti dictum) Huenna appellata, commoditatem hisce Cælestibus studijs ibi operā dandi Regio favore largitus est; veluti aliàs quoq; huius nunquam satis laudati Regis consilij mentionem & memoriam recolere soleo, cum non tantummodo de me, sed & te tota re Astronomica hac ratione sit eximie meritis. Quare univērsam Posteritatem, ad quam (uti spero) huius rei vsufructus aliquando perveniet, Serenissimi & Optimi illius Regis nomen grata mente celebrare decet. Ex illius itaq; præstantissimi Regis decreto, atq; voluntate clementi, cum in dicta Insula ædificia Astronomico negotio apta solide & manifeste à me construenda forent, elegi locum maxime in ea æditum (cum & tota Insula per se alte extaret) prope eius quasi meditullium, ubi Arcem ex ipso Cælo, cuius observationibus inservire deberet, denominatam, & Vraniburgum ob id etiam fundamentaliter construere aggressus sum, incipiensq; ab Anno 1576, successivis temporibus eandem absolvi: cuius Orthographiam hîc secundum totam eiusdem formam & capacitatem, quantum in plano fieri potuit, representatam vides. Particularia vëro, quæ in hac delineatione exponenda veniunt, in hunc modum se habent: quatenus literis, quæ peculiaribus locis annotatæ sunt, singula indicare datur: A Domus præcipua in ipso meditullio totius capacitatis extructa, & per quatuor sua latera æquale quadratum efficientia in 4. Mundi plagas exactissime vergens, ita ut duæ turriculæ Meridiem & Septentrionem, ambæ vero valvæ Ortū & Occalum exquisitè respiciant, E, Porta Orientalis opere rustico & Tuscano cōposita, D, Porta Occidentalis eodē opere elaborata, Habuerunt autē hæc binæ portæ superius duos Canes maiores Anglicanos excubitores in conveniente domuncula, ut undiq; adventantes latratu indicarent. B, Officina Typographica, maiores domus idēam parva forma quodammodo referens, C, Domunculā pro ministris, etiam maiorem domum, quoad frontispiciā, & quædam alia representas. F, Interior valli faties, G, Exterior eius forma cum sua dispositione. N, Quatuor viæ versus ambas portas & utraq; domunculā ducentes quæ in 4. Mundi plagas ad amussim excurrunt. O, Quatuor ianux hortorū, M, Pergulæ quatuor in illis semicircularibus vallis amœnitatis gratia dispositæ, L, Horti herbarum & florum. H, Horti Arborum varij generis numero circiter trecentarum, &c. Atq; hæc est rotius capacitatis descriptio. Habet autem valli ambitus figuram quadratam, in medio semicirculari intertextam, ut in antecedente designatione patet, Singula vero Quadrati latera continēt pedes 300. Crassities valli fundamentalis est pedum viginti. Altitudo eius 22, pedum: Diameter vero semicircularis valli interior est pedum circiter nonaginta, Domus ipsa in medio sita, quæ etiam exacte, uti dixi quadrata est, habet in singulis lateribus circiter pedes 60. Altitudo Muri 45, pedum. Turres vero rotundæ à Meridie & Septentrione oppositæ habent 21, pedes in Diametro, quibus ambitus exterius abhærentes addunt pedes 10, Porticus ab Oriente & Occidēte inferius Quadrati habent 15, pedes in quolibet latere, Tota altitudo domus à Terræ superficie usq; ad Pegasus supremum est pedum 75. Domus etiam ipsa quaqua versus patet, hypogæa habet ædificia, quorum profunditas est pedū 12, Imò & quædam alia sunt infra hæc, ista verò subterranea cum sint, hîc non representant ut utur multis consent discriminationibus, & in varios usus ordinata sint, quæ etiam magnis sumptibus, & pene non minoribus, quam superior domus pars, quæ ultra Terræ planitiem extat, ac sub dñu patet, confecta sunt.

Præcipue verò huius domus in meditullio sitæ pleniorē designationem & expositionem nunc subiungā, quo omnia magis discretè pateant: atque ibi nonnulla subterraneis, quæq; Cryptica sunt, quatenus fieri potest, atq; in plano talia imitari utcunq; conceditur, exhibebo, Nam omnia isthic confecta, non solum inferius sed etiam exterius, ut ut domus hæc talia tamque multiplicia continere non facile crederetur recensere & nimis prolixum, & forte quibusdam tædiosum foret.

VRANIAE sacrata domus, specula inclita Cæli
 Excelsa fundata loco, firmataq; vallis,
 Arboribusq; herbisq; tuis circumfusa in hortis
 Quæ ter septenos lustrasti cuncta per Annos
 Sidera, dum caput augustum sustollis Olympo
 Siccine spreta jaces: sic nunc orbata quiescis
 Forsitan id superis visum, quibus Enthea cura;
 Ne magna exiguis stringantur munera claustris,
 Sic volvant variantque vices Terrestria quæq;
 Sit tibi laus soli qui Cælum & Sidera torques.

OR.